

Utrum voluntas prime intelligentie velit positive a viatore malum fieri malitie. Videtur quod sic: volutas prime intelligentie vult positive omnem actum viatoris, quem ipse facit ab ipso fieri, igitur et [98va] malum culpe. Consequentia patet, quia secundum quod ait Magister, libro 2, distinctione 40, aliqui actus per se sunt ita mali quod nulla intetione potest bene fieri, cuius ratio est quia aliqui actus habent culpam necessario annexam, ut est ordium Dei blasfematio et huius. Si igitur tale actus non possunt fieri sine culpa, sequitur quod quicumque vult tales actus, vult quicquid ad illos sequitur, et sic qui vult tales fieri, vult culpam fieri. Sed antecedens patet, quia ad onem actum viatoris concurrat Deus, ut patet ex prima quaestione, non aitem concurrat ad aliquid, nisi illud volendo.

Ad oppositum, est Magister, qui in sine huius distinctione, hanc questionem determinans ait dicamus Deum mala non fieri velle, nec tamen velle fieri, nec nolle, omne quod vult fieri fit, et omne quod vult non fieri non fit, fiunt autem multa quae non vult fieri, ut omnia mala gece Magister.

Respondeo ponendo tres conclusiones.

Prima conclusio est: quod volutas create intelligentie non potest malum culpe propter se velle positive.

Probatur tripliciter.

Prima sic: nostra voluntas non potest positive Deum odire propter se, igitur. Consequentia nota, quia omne malum culpe est odium Dei vel ipsum includit. Sed probatur antecedens, per glossam Mathaei 6. Nemo potest duobus dominis servire, ubi glossa neque enim aperte antequam aliquis odio habuit Deum. Sed omne homines se Deum amare fatentur et diaboli naturam exercent qua vitiosum tirampnum super se substineant, dominantem Deum vero odio non habent sed contempnunt victi concupiscentia sua et oersuasionem diabolicam. Item glossa, ibidem nullus scientia Deum odisse potest, sed contempnunt dum cum suis concupiscentiis postponunt.

Secundo sic: si alicuius viatoris voluntas posset velle ipsum peccare propter se, sequeretur quod aliquis viator posset peccare peccato infinite malicie intensive. Consequens falsum, quia sicut quilibet viator non tantum potest mereri quin amplius possit mereri, ut habetur in Clementinis de hereticis ad nostra, sic non potest tantum demereri quin amplius possit demereri, et per consequens peccato infinito non potest demereri. Sed probatur consequentia, quia quanto aliquis de aliquo peccato magis temptatur ceteris paribus, peccatum est minus. Et similiter per oppositum, [98vb] quanto minus temptatur peccatum est maius. Igitur ubi nulla est temptatio, sed solum imperium voluntatis, peccatum est infinitum.

Tertio sic: si aliquis posset velle propter se malum culpe, tunc posset propter se velle, unde esset miser. Patet consequentia, quia ex peccato sequuntur miseria, libro 4, distinctione 49. Sed consequens est falsum, ut patet per Augustinum, in Enchiridion, capitulo 12, dicentem, neque enim culpanda est voluntas qua beati sic esse volumus, ut miseri non solum non volumus sed ne quamquam velle possumus. Et confirmatur ratio per Anselmum, De casu diaboli, capitulo 23, ubi probans quod diabolus non potest prescire casum suum, ait quod nullus potest velle unde scit semper se miserum fore. Ista conclusio videtur esse de mente Canonis, distinctione 15, quaestione 1, merito ubi dicitur ipsum peccare nemo vult, sed propter aliud quod vult peccat omnis homo.

Contra conclusionem arguitur tripliciter.

Primo sic: si conclusio sit vera, igitur nullus potest velle peccare propter se. Patet consequentia. Sed consequens est falsum, quia tunc quilibet peccans peccaret invitus, quia peccaret nolens peccare, quod est falsum, quia solum voluntate peccatur, ut ait Magister, libro 2, distinctione 27.

Secundo sic: quisquis vult aliquid antecedens, propter se vult quodlibet consequens ad illud antecedens maxime si sicut consequentia esse bonam, patet statim quia talis scit se non posse habere vel facere antecedens sine consequente. Sed voluntas alicuius potest propter se velle aliquod antecedens ad quod scit bona consequentia, sequitur peccare sive peccatum, igitur. Patet minor, quia Socrates potest velle adulterari propter se et furari et talia ad quod scit consequenter, sequitur peccatum, igitur.

Tertio sic: si conclusio sit vera, igitur de facto peccare et nolle peccare non repugnant, et ista simul potest stare et pro consequens intendi usque ad summum gradum peccati. Sed consequens est falsum, quia tunc esset possibile quod aliquis summe peccaret qui summe nolet peccare, et cum nolle peccare sit odire peccatum, tunc quis peccaret qui summe odiret peccatum. Ad hoc etiam facit argumentum primum factum contra tertiam conclusionem, quaestione 4 et argumentum tertium.

Respondeo.

Ad primum, dico quod nullus potest velle ipsum peccare propter se. Et cum hoc tamen stat quod nullus invite peccat, quia licet quis non velit ipsum peccatum vel ipsum peccare propter se, tamen illud vult [99ra] propter aliud, vel per accidens, scilicet propter illud propter quod peccat, sicut adulterans licet non vellit peccatum illud propter se, tamen illud vult propter libidinem vel carnalem delectationem.

Ad secundum, dico quod posito quod illa propositio sit vera quod quando ad aliquod antecedens sequitur aliquod consequens scilicet consequentiam illa esse bonam. Si vult antecedens, vult consequens non tamen est verum. Quod si talis vult antecedens propter se, quod velit consequens propter se, sed magis sequitur quod velit ipsum consequens propter ipsum antecedens, et sic concedo quod aliquis propter aliud potest velle ipsum peccare. Secundo dico quod illa propositio non est vera, quod si hec consequentia est bona a est. Igitur b est et est scita a for esse bona quod si for velit a quod etiam velit b nisi addaturm et for vult consequentiam esse bona. Sed hoc non est verum in proposito, quia licet for sciat quod ad actum adulterii sequitur peccatum, tamen vellet quod peccatum ad illum actum non sequeretur, quia secundum quod dicitur in canone 15, quaestio 1, merito omnes qui scienter faciunt quod non licet vellent licere quod faciunt.

Ad tertium, concedo quod peccare et nolle propter se peccare stant simul, et possunt simul intendi sed non usque ad summum gradum peccati, cum non sit dare summum gradum peccati sed peccare, et nolle peccare nec per se, nec per accidens, nec propter se, nec propter aliud, nec vere, nec interpretative, non stant simul, quoniam omnis peccans aliquod peccatorum nostrorum vult peccare, cum omne peccatum sit voluntarium etc.

Secunda conclusio est: quod voluntas create intelligentie quodlibet malum culpe quod producit, producit libere. Hic accipio malum large, scilicet pro ipso actu demeritorio.

Pronatur tripliciter.

Primo sic: pro omni malo culpe producto a voluntate create intelligentie, ipsa merito est vituperabilis. Igitur quodlibet tale producit libere. Antecedens patet, quia quodlibet vitium credit ipsum habentem vituperabilem. Et consequentia patet, 2 Erhcorum, ubi dicitur quod per

nullum actum vituperamur nec laudamur, nisi fit in potestate nostra illum habere et non habere, omnis autem actus qui taliter est in potestate a nobis producitur libere.

Secundo sic: nisi voluntas libere produceret quodlibet malum, culpe Deus iniuste puniret eam pro tali actu culpe. Consequens falsum, quia inssius dominus et iu-[99rb]sticias dilexit. Consequentia autem patet per Anselmum De concordia, capitulo 12, doicentum, nullomodo esset cur Deus malis vel bonis meritis retribuere si per liberum arbitrum bonum vel malum non facerent.

Tertio sic: si conclusio non sit vera, sequitur tunc quod quis malum culpe posset invite perpetrare. Consequentia nota, sed consequens est falsum et contra Augustinum in libro De vera religione, capitulo 3, et allegatur a Magistro, libro 2, distinctione 41, et in canone 7, questione 1, capitulo 1, dicenti useque a Deo peccatum malum voluntarium est, ut nullomodo sit peccatum nisi sit voluntarium malum. Ista conclusio est de mente venerabilis Anselmi, De libero arbitro, capitulo 5, dicentis nihil cogere potest voluntatem nostram ad malum, et capitulo 8 dicit quod nulla temptatio quantumcuque magna potest vincere voluntatem nostram.

Contra conclusionem arguitur tripliciter.

Primo sic, voluntas nostra actum culpe, quem de praesenti elicit, non elicit libere. Igitur conclusio falsa. Patet consequentia, quia talis actus elicitus de praesenti est malum culpe, sed probatur antecedens per Magistrum, libro 2, distinctione 25, dicentem quod liberum arbitrum non ad presens vel ad preterium refertur, sed ad futurum contingens.

Secundo sic: si conclusio sit vera, sequitur quod unus mortaliter plus possit peccare alio. Consequentia patet, sed consequens est falsum, quod probatur, quia quilibet mortaliter peccans peccat infinite. Igitur nullus peccans mortaliter plus peccat quod alius. Ista consequentia patet, quia infinito non est dare maius. Sed antecedens istius ultime consequentiae probatur, quia quodlibet peccatum mortale excedit in infinitum quodlibet peccatum veniale, igitur. Patet consequentia, quia nullum finitum aliquid finitum potest excedere nisi finite. Sed probatur antecedens, quia pro quodlibet peccato mortali debetur pena in infinitum maior quam pro aliquo veniali. Igitur, quodlibet mortale excedit in infinitum quodlibet veniale aliter Deus aliquod mortale puniret ultra condignum, quod est falsum.

Tertio sic: si voluntas nostra libere quemlibet actum suum de meritorium, tunc haberet liberum arbitrum ad demerendum. Sed consequens est falsum quod sic ostenditur, quia vel haberet nunc liberum arbitrium ad demerendum magis quam in statu innocentie, vel minus, vel equaliter. Non magis patet per Magistrum libro 2, distinctione 25, dicentem quod libertas arbitrii in nobis in morata est per peccatum, nec dici quod minus, quia libertas ad peccandum in homine in-[99va] est maior quam in statu innocentie fuerit, quia per peccatum magis redduntur homines prono ad peccandum quam ante apparet, etiam ex alio, quia potest homo peccare mortaliter et venialiter. Sed in statu innocentie poterat solum venialiter peccare.

Respondeo et dico.

Ad primum, quod liberum arbitrium se habet ad actum ab ipso elicitum dupliciter. Unomodo antecedenter, scilicet de ipso actu deliberando. Aliomodo efficienter, scilicet ipsum producendo. Dico igitur quod Magister ibi loquitur de libero arbitrio per respectum ad ipsum actum antecedenter, sed non efficienter quia non habet deliberare antecedenter de preteritis nec de presentibus sed solum de futuris, tamen contingenter habet elicere tam presentia quam futura.

Ad secundum, concedo quod unus potest plus peccare alio. Et quando probatur oppositum per hoc quod quilibet peccans mortaliter peccat infinite, dico quod infinite peccare potest intelligi dupliciter, vel ratione infiniti actus, vel ratione deformitatis. Et sic nullus peccat infinite vel ratione infiniti obiecti a quo peccator se avertit per peccatum mortale, quod non debet etiam pro infinitis mundi face, ut dicit Anselmus, 1 Cur Deus homo, capitulo 16, et istomodo peccans mortaliter peccat infinite. Sed tunc non valet consequentia, quia in hoc non possunt esse gradus ex parte actus et deformitatis, sed plus et minus. Licet non ex parte obiecti oddensi similiter potest esse gradus diversi pene infligende pro diversis peccatis. Et si dicatur quod eadem ratione quodlibet peccatum veniale esset infinite puniendum, quia etiam ossendit bonum infinitum. Dico quod non sequitur quia in peccato veniale non avertit se homo a Deo, et cum ipso stat caritas et gratuita Dei delectio sed non cum mortali.

Ad tertium, dico quod libertas est minor, tunc ad bonum ezequendum quam fuerit in statu inocentie, quia nunc habet retrahentia a bono qui tunc non habebat et sic tunc facilius bonum poterat, quam modo possit et hoc vul Magister, ibidem et tamen cum hoc ita est quod dicta libertas est nunc magis libera ad malum quam tunc esset, quia sicut ait Magister ibidem, scilicet libro 2, distinctione 25, ante peccatum nihil ad bonum imoediebat et nihil ad malum impellebat. Modo autem sic non est licet ista libertas ad malum non sit vera libertas, ut ai Magister ibidem.

Tertia conclusio est quod voluntas increate sive prime intelligentie non vult positive a viatore malum fieri malitie.

Probatur tripliciter.

Primo sic: Deus non est actor mali culpe viatoris, igitur. Antecedens notum,[99vb] quia omnis faciens peccatum servus est peccati Iohannis 8, Deus autem servus esse non potest. Sed consequentia probatur arguendo, sicut arguit Magister hic in littera, si Deus vellet mala fieri vel esse, faceret utique ea fieri vel esse, et ita esset actor malorum.

Secundo sic: Deus prohibet malum culpe fieri a viatore, igitur. Consequentia patet, quia aliter faceret contra prohibitionem suam. Antecedens patet per illud Psalmum, declina a malo etc.

Tertio sic: omni malo culpe offenditur voluntas prime intelligentie, igitur. Patet consequentia, quia nullus offenditur in eo quod vult, sed magis delectatur cum omne volitum sit complacenter volitum. Sed antecedens patet, quia aliter non puniret peccantem. Ista conclusio expresse est de mente Magistri, scilicet in fine huius distinctionis.

Contra conclusionem arguitur tripliciter.

Primo sic: Deus vult vel voluit innocentem occidi actum fornicarium cum muliere fornicaria committi et furtum perpetrari, igitur et vult mala fieri. Consequentia nota, quia omnia illa sunt mala culpabilia. Sed antecedens patet, quoniam precepit Ysaac occidi Genese, 22, precipit Osee ut acciperet mulierem fornicarium et faceret filios fornicationis Osee primo et precepit populo israel, ut spoliarent egyptios.

Secundo sic: malum culpe fieri a viatore est bonum. Igitur a deo est volitum. Patet consequentia, quia Deus vult omnia bona. Probatur antecedens, quia malum fieri a viatore est verum, igitur et bonum, cum verum et bonum convertantur. Et confirmatur per Augustinum, 1 Enchiridion, capitulo 8. Dicentem mala fieri bonum est alioquin deus summe bonus non permetteret ea fieri.

Tertio sic: Deus non vult mala non fieri, igitur. Patet antecedens, quia si vellet ea non fieri, non fierent, quia nihil potest fieri contra voluntatem eius, sicut dicit Magister in ista distinctione, omne quod Deus non vult fieri, non potest fieri. Sed patet consequentia, quia negatio preposita et postposita facit equipollere affirmative, sicut non est non album igitur est album, similiter in proposito non vult non fieri, igitur vult fieri.

Respondeo.

Ad primum, dico negando consequentiam, quia in casu illo non fuissent nec fuerunt mala culpabilia, quoniam Deus sine omni iusticia potuit Ysac occidere, immo etiam annullare et sic licite [100ra] hoc potuit committere ipsi Habrae. Et Habram si tunc Isac occidisset non peccasset, quia fuisset minister Dei, qui hoc licite facere poterat, similiter nec Oseus peccat quia potuit Dus dare potestatem Osee super illa mulierem, ut esset sibi subiecta, sicut virtute matrimonii mulier licite coniungitur viro, unde et textus aperte dicit quod mulierem fornicariam ducere in uxorem quod fieri potuit, et godie potest absque peccato. Similiter domnia rerum que erant egiptorum potuit Deus transferre ad filios Istrael, quia omnia libere sunt sua.

Ad secundum, negatur antecedens. A probationem, quia malum culpe fieri a viatore est verum. Respondet Magister in ista distinctione, quod malum fieri est verum, id est quod ista locutio est vera. Et sic concedo quod ista locutio est vera et bona et a Deo producta. Ad confirmationem, Augustinus dicens, dico quod mala fieri est bonum. Dico quod aliquid dicitur bonum tripliciter. Unomodo per se, ut actus caritatis. Aliomodo per accidens, ut proicere in mari perces per salute corporis. Aliomodo occasionaliter. Dico quod primo modomalum fieri non est bonum, et omne quod est bonum primo modo est a Deo volitum. Secundo modo est bonum, auia inde per accidens commendatio boni elicitor. Tertio etiam modo est bonum, quia inde est occasio humilitatis, quia occasio quandoque ex casu peccator sumit occasionaliter. Dico igitur quod non omne quod est bonum secundo modo et tertio est a Deo volitum, sed bene primo modo.

Ad tertium, dico primo quod illud antecedens est falsum, scilicet illud Deus non vult mala non fieri, quia Magister concedit oppositum in fine istius distinctione dicens, Deus non vult mala fieri, dico etiam quod ista concessa Deus non vult mala fieri non sequitur. Igitur vult mala fieri, sicut non sequitur lapis non vult non legere. Igitur lapis vult legere et si dicas quod exemplum non valet, quia lapis non habet velle nec nolle circa legere. Similiter dico et quod Deus non habet actum volendi, nec nolendi circa mala, quia Deus non vult mala fieri, nec vult mala non fieri, sed non vult mala fieri, ut ait Magister.

Ad argumentum in principio questionis factum, nego consequentiam. Unde dico quod non omnis volens aliquid antecedens vult omne illud quod sequitur ad illud antecedens, sicut in nobis apparet experimentaliter, nam ad multum potandum sequitur ebrietas. Tamen gulosus vult antecedens et non [100rb] vult consequens, similiter ad procreationem sive generationem filiorum sequitur peccatum veniale in parentibus et originale in prole. Iusti tamen parentes volunt antecedens et non volunt consequens. Dico etiam quod omnis actus quo ad substantiam potest esse sine deformitate. Unde si Deus rem que est obidum Dei poneret in lapide nullam defirmitatem haberet annexam. Magister autem loquitur de communi lege, patet etiam ad illud argumentum in solutione secundi argumenti contra primam conclusionem presentis questionis.